

**Dissertatio medica inauguralis, de variolis / Quam ... pro gradu doctoratus ... submittit Nathanael Cotton.**

**Contributors**

Cotton, Nathaniel, 1705-1788.

**Publication/Creation**

Lugduni Batavorum : Apud Johan. et Herm. Verbeek, 1730.

**Persistent URL**

<https://wellcomecollection.org/works/gpqpxe9>

**License and attribution**

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection  
183 Euston Road  
London NW1 2BE UK  
T +44 (0)20 7611 8722  
E [library@wellcomecollection.org](mailto:library@wellcomecollection.org)  
<https://wellcomecollection.org>







58,834 SuppB

Supp. B. 1-1





Digitized by the Internet Archive  
in 2019 with funding from  
Wellcome Library

<https://archive.org/details/b30508253>

DISSERTATIO  
MEDICA INAUGURALIS,  
DE  
VARIOLIS.

QUAM,

ANNUENTE DEO TER OPT. MAX.

*Ex Auctoritate Magnifici Rectoris,*

D. HERMANNI BOERHAAVE,  
A. L. M. PHILOSOPHIAE ET MEDICINAE DOCTORIS,  
MEDICINAE IN ACADEMIA LUGDUNO-BATAVA  
PROFESSORIS ORDINARII,

NEC NON

*Amplissimi SENATUS ACADEMICI Consensu,*

*& Nobilissimae FACULTATIS MEDICAE Decreto,*

PRO GRADU DOCTORATUS,

Summisque in MEDICINA Honoribus & Privilegiis,  
ritè ac legitimè consequendis,

*Eruditorum Examini submittit*

NATHANAEL COTTON, Anglo-Brittannus.

*Ad diem 7. Augusti 1730. hora locoque solitis.*



LUGDUNI BATAVORUM,  
Apud JOHAN. ET HERM. VERBEEK, 1730.





DISSEMINATED  
MEDICAL JOURNAL

VOLUME 12

DECEMBER 1901

THE LANCET

AND THE BRITISH MEDICAL JOURNAL

AND GRADUATE DOCTORS

OF THE UNITED KINGDOM

NATHANIEL COTTON, LONDON

AND THE LANCET

AND THE BRITISH MEDICAL JOURNAL

AND GRADUATE DOCTORS

OF THE UNITED KINGDOM

NATHANIEL COTTON, LONDON

AND THE LANCET

AND THE BRITISH MEDICAL JOURNAL

AND GRADUATE DOCTORS

OF THE UNITED KINGDOM

NATHANIEL COTTON, LONDON

AND THE LANCET

AND THE BRITISH MEDICAL JOURNAL

AND GRADUATE DOCTORS

OF THE UNITED KINGDOM





DISSERTATIO MEDICA  
INAUGURALIS,  
DE

VARIOLIS.

**I**nter varia illa atque divina naturæ opera, quæ hunc mundum exornant, omnibus certe cæteris longe antecellit corpus humanum, sive elegantem partium fabricam atque ordinem, sive tantam earum consentientem, conspirantem, & continuatam cognationem spectemus. Subtilissima autem partium teneritas, & magnus ille earum numerus, corpus hocce mille malis obnoxium reddunt, ut eleganter innuit popularis noster VERULAMIUS, Vir quidem magno præditus ingenio, & qui in tenebris tanquam lumen effulsit: *Varia ista, inquit, & subtilis corporis humani compositio & fabrica effecit, ut sit instar Organi musici, operosi & exquisiti, quod Harmonia sua facile excidit* (a). Nullo fere negotio omnis

A 2

per.

(a) De Dignitat. & Augment. Scientiar. Lib. 4. cap. 2.



perturbatur compages, cujus omnes actiones legibus vel severissimis obsequantur necesse est, cujusque Harmonia a certa quadam partium proportionem, & a functionibus harum rite atque bene institutis pender: *Et in eo consistit plane Medici officium, ut sciat humani corporis lyram ita tendere Et pulsare, ut reddatur concentus minime discors Et insuavis* (b). Uti ob tenuissimam partium structuram permultos morbos patitur corpus, ita ob earum numerum, & multiplices atque varias, per quas hæ partes affici possunt, vias, per obscuri & caliginæ quasi obducti deveniunt morbi. Ideoque ad medicinam promovendam nil plus conducit, quam accuratæ observationes, in ordinem ita dispositæ, ut in casibus analogis generalium vicem regularum subeant. At vero cum a morbis, nullum typum servantibus, seu per symptomata externa vix dignoscendis, vel ab iis, qui perraro deprehenduntur simplices, imo cum aliis morbis intime conjuncti & intertexti hæ observationes deducantur; necesse est, omnes regulas & ratiocinia esse quam incerta.

Illorum pro exemplo morborum, qui sunt per se *irregulares*, & sæpissime vel cum aliis morbis, vel cum quibusdam temperiei peculiaribus circumstantiis intime permixti, affectio ponatur hysterica. Eorum pro exemplo, qui per signa externa vix cognoscendi, sunt morbi splenis & pancreatis.

Ut hæc igitur incommoda evitare, pauca de Variolis, utpote morbo satis regulari, & ut plurimum simplici, nec aliis morbis implicato, differere me contuli.

Non

(b) Verulamius.



Non expectandum est, ut historiae morbi, quem summâ cum diligentia & magno ingenii acumine, depinxit immortalis noster SYDENHAMUS, aliquid adjiciam. Ego tantum operam navabo, ut symptomatum ordinem & progressum paulo latius perpendam, eo scilicet consilio, ut analogiam, quæ huic cum aliis morbis intercedit, videamus.

Inter varias illas morborum Iliadas, qui ab omni ævo terris assidue incubuerunt, variolæ sunt morbus nunc dierum frequentissimus. Humani scilicet corporis ea est infirmitas, ut aliquando, levissimâ etiam labe contactum, variolis sit peropportunum. Late enim grassatur morbus, & obseratis auribus, nec piis efflagitantis Matronæ precibus, nec perpulchræ suspiriis Virginis auscultans, omni sexui. omni fere ætati, & præcipue tenellæ, permagnam stragem infert. Complures etiam ægri, postquam partes suas expleverint variolæ, & fugæ se dederint, sordidis ulceribus oppressi, & ægritudinibus acerbissimis diu vexati, morte tandem miserrime occumbunt. Aliquando quidem morbus cerebrum petit, &, primariâ illâ vitæ officinâ penitus subversâ, ægrotus vel phrenitide correptus fuit admodum, &, ratione sic omnino depulsâ, rabidam quasi expirat animam; vel veterno affectus obtorpescit, & doloris nescius præsentis & futuri beatè expers vivere desinit. Aliquando etiam, postquam maximis in angustiis versatus fuerit æger, & discrimini summo ereptus mortem evaserit, carnosus tamen corporis partibus alterosis, cicatricibus foedissimis deturpatur. At vero inter cæteras partes, vi morbi excruciatas, tenelli præcipue tentantur oculi, &, impetu in eos facto, æger sæpe



visu penitus orbatur, & hoc pacto magna ex parte vitæ dulcedinem amittit.

Hic loci fortasse desideraretur (nisi aliud mihi fuisset propositum) hujusce morbi causarum enarratio: sed de his quot diversæ exstant sententiæ! ejus enim causas deductas legimus *ab ebullitione sanguinis putredinosis*, & *ab impuritatibus sanguinis materni* (c); *a venenata aëris qualitate* (d); *a veneno activo in lacescendo procaci* & *spiritibus intime implicato* (e); *a bestiola aliqua, vel esu vel ab ejus morsu* (f); & similibus. At quemadmodum causæ per multa volumina, perque magnæ contentionis disputationes a Medicis acriter tractantur, huic itaque, utpote quod humeri ferre recusant, argumento superfedeamus. Quæstio enim de causis perobscura & perdifficilis est, ut patet ex eorum, qui de his disputarunt, discordia. At quidem dolendum est, hanc scientiam apud nos desiderari; tum quod ad agnitionem animi perpulcherrima, tum quod de hujus in medicina utilitate omnibus persuasissimum sit, Nam certe a Medico, qui mala ipsa, & sedes illas malorum intimas, atque reconditas probe callet, multo certius atque citius abigi possunt morbi, quam ab eo, qui, quid integrum, quid corruptum sit, penitus ignorat (g). At vero hæc res, quanquam ad medicinam bene faciendam sit quam apprime necessaria, tamen perardua est; & ingenium Medicorum etiam præstantissimorum longe superans, & peracres eorum investigationes eludens, caput suum nubibus occludit. In re medica non ulla certe exstat difficilior & incertior, quam

(c) Avicenna. Riverius.  
flerus. (g) Celsus Præfat.

(d) Fernelius.

(e) Mortonus.

(f) Ly-



quam quæ in causis morborum eruendis versatur, doctrina. Is enim est earum numerus, ut animi vires assequi haud valeant; & sensibus tam alte latent, ut perobscuras esse necesse sit. Hoc quidem multiplex symptomatum, ab eadem causâ provenientium, varietas, & eadem fere symptomata, a causâ prorsus diversâ orta, comprobare videntur. Id insuper in hac re iudicandi difficultatem auget, quod in uno ægroto sæpissime reperiatur multarum arctissima causarum conjunctio, quas explicare nefas. Si quis *observatores*, qui de phænomenis, quæ cadavera dissecta exhibent, verba faciunt, perlegerit, de his jam dictis vix dubitare potest. Verbi causâ, morbi capitis, qui tam varia & omnino diversa edunt symptomata, sæpe ab eadem causâ oriuntur. Sic Apoplexia & Delirium, Epilepsia & Paralysis, Carus & Vigilia, (quanquam respectu externorum symptomatum longe a se invicem differant) attamen pro causâ haud raro idem, (qua scilicet sensibus exploratum constat) certè agnoscunt. Quamvis autem inter se dissentiant Medici, de causis variolarum differentes, at vero, quod ad externa signa ad hunc morbum pertinentia attinet, convenit inter omnes; quippe hæc sunt contemplanti obvia, & ad regulas se componunt quam plurimum. Sed quam magna oritur dissensio respectu causæ (ut jam innui), & effectûs medicamentorum; & nil mirum, quum causæ, quas investigare enituntur, in obscuro positæ a sensibus tam longe distent, & in variis corporibus effectus tam varios eadem edat medicina, & præterea medicinæ ea, quæ medicamentis non adhibitis fortasse accidissent, adscribere soleant Medici. Adhæc Authores, qui in philo-

so.



sophicis exstruendis argumentis toti fuerint, & in hypothefibus conflandis laborem fere improbum impenderint, morborum causas ad normas, a semet ipsis confectas, detorquent; &, ad sustinendam Theoriam a se promulgatam impulsu, de curationibus morborum nugas agere (sit verbo venia) videntur admodum.

Altera est causa, cur de curatione morborum discrepent Medici, nimirum quod horum historia & dierum criticorum a quibusdam Authoribus memorantur, nullâ effectûs medicinæ mentione factâ, quasi quidem nullas vires medicamenta possideant. Sic seriem symptomatum eandem ac cæteri Authores practici tradidit *Lommius*, nullo medicinæ effectû memorato. Unde videtur, medicinâ adhibitâ, vel non adhibitâ, symptomatum ordinem, naturam & durationem sæpe haud multo permutari. Nollem hæc, quæ hætenus dicta sunt, ita accipi, quasi omnem medicinæ vim respuerem; sed tantum innuere volo, quod, uti sæpe effectus medicamentorum oculis patent, ita sæpenumero sint tam invisibiles & obscuri, ut graves inter Medicos lites excitare valeant: & hæc obiter nobis inserviant, pro argumento contranimitiam in arte medicâ opinionum pertinaciam.

Hic morbus commodissime dividi potest in stadia distinctissima, videlicet a primo insultu ad eruptionem, ab eruptione ad maturationem, & ab hac periodo ad finem morbi: & procul dubio sunt alii morbi, qui æque varia & distincta stadia teneant, atque hic morbus, quamvis non tam facile designari queant; & hæc de causâ id certe dolendum est, quia hæc diversa stadia regi-

men



men & curationem diversam fortasse exigunt; quod in Phthisi pulmonali & quibusdam aliis morbis indies obtinere videmus.

In duo genera videlicet *discretas* & *confluentes* Sydenhamus digerit variolas; quamvis medium est variolarum genus, quod æque sæpe ac duo priora occurrit. Nam frequentissime reperire est parvularum speciem variolarum, quæ cum sint plane discretæ, attamen haud raro mortem afferunt, maculis nigris hinc inde interspersis. Sydenhamus vero a concretionem pustularum discrimen instare arbitratur.

In primo variolarum stadio symptomata ab iis, quæ in aliis febribus prodeunt, haud abhorrent; ideoque antequam eruperint pustulæ, nisi tempestate epidemica, vix dignoscendus est hic morbus. Ac vero, quamvis epidemicè grassetur, & æger hoc morbo non antea laboraverit, tamen non temerè concludendum est, his symptomatis correptum variolis laboraturum esse ægrum; & id præsertim, si morbilli tunc temporis tam immaniter quam variolæ debacchentur. Sed hic notare licet, tussi fere nunquam non comitatos invadere morbillos.

Hic morbus, scilicet variolæ, nunc mitis, benignus, & febre fere carens, ægro iisdem cibis & potibus ac in prospera valetudine utente. Nunc vehementissimus, & acutorum pestilentialium speciem morborum præ se exhibet; & verosimile apparet, hoc morbo etiam ante pustularum eruptionem ægrum aliquando extinguere.

Hos inter duos gradus obtinent quam plurimi intermedii. Hi autem strictè loquendo sunt diversi mor-



bi, qui diversa curationis genera seu saltem gradus ejusdem generis curationis diversos desiderant. Quemadmodum vero in confesso est, quod tum morbi, tum medelæ, si nimis accurate tractentur, omnem perspicuitatem amittant, ita satis superque constat, quod de his nimis minutè æque ac nimis generatim agendo peccare possint Medici; & non tantum supervacanea est omnis, quæ nimis curiose fit, distinctio; sed hoc etiam incommodum luit, quod haud raro legentes in errorem agat. Cum itaque omnes hos gradus intermedios enumerare tam vanum, quam inutile sit, de iis solis symptomatis, quæ plerumque occurrunt, agere, quantum potero, enitar, & phænomena, quæ in proportionem discriminis hæc pariunt symptomata, notare volo.

Uti in hoc morbi stadio, i. e. usque ad eruptionem, omnia symptomata cum iis aliarum febrium sunt communia; ita hoc solum est quod eruere possumus Prognosticon, nimirum prout magis vel minus excandescat febris, in eadem proportionem futurum imminuerit periculum. At haud abs re alienum est adjicere, quod quanquam in prognosticis hauriendis pro generali sit hæc regula, tamen anceps & incerta sit. Aliquando enim videre est febrem valde acutam & horrendis convulsionibus conjunctam, nullo instante periculo: & hic observare liceat, vomitiones enormes, & vehementia ventris tormina, esse duo symptomata, quæ in hac potius, quam in cæteris febribus discrimen minuantur; adeoque notatu sunt dignissima. In omnibus quidem febribus hæc symptomata periculo esse conferta adnotavit *Hippocrates* (h).

RE-

(h) Aph. IV. 66.



RIVERIUS in suis observationibus enarrat historiam ægri, qui variolis, ubi hæc signa adessent, extinctus fuit; & subnectit Author, *quotquot his symptomaticæ laborantes vidi, tot intra paucos dies obire vidi* (i).

Quæ in hoc stadio ad curationem spectant, hæc prorsus eadem sunt ac in aliis febribus; & id ob hanc potissimum causam, quoniam, ut jam innuimus, ante eruptionem non dignosci morbus queat.

Generatim loquendo, febris, quæ eruptionem benigni & discreti variolarum generis antecedit, est mitis & vice versa: unde videtur vel a variolarum malignitate vehementiam febris intendi; vel a violentiâ febris nasci malignitatem variolarum, quæ, febre imminuta, meliores evasissent (g). Et ad hunc modum Medicos de *mensibus* cum *solidorum vitio & cacochymia* conjunctis ratiocinari videmus; alii scilicet solidis peccantibus obstructions adscribunt; a fluidis peccantibus obstructions provenire asserunt alii. At quanti sit momenti in quibusdam casibus, ad curandi methodum melius variandam, has diversas Medicorum lites dijudicare, mei non est discernere; sed hoc pro comperto habemus, quod etiam in variolis non dubitandum sit, an febrem cohibere, an Naturam ad formandas pustulas dirigere oportet, hoc certe extra artis regulas posito, nisi cohibendo febrem.

Ad compescendam febrem non adhuc certum invenitur remedium. Omnia quorum periculum fecere Medici, tam in hac, quam in cæteris febribus, spem sæpe fe-

(i) Obs. communicat. Obs. 62.

(k) Sydenham. Variol. regul.



fellerunt. Usque ad eruptionem pustularum lecto ægrum interdicit *Sydenhamus*. Nihilominus vero febre *secundaria* hoc non præcipit; quamvis etiam non minus in hac quam in illa febre valere videtur hæc regula, eo nempe proposito, ut inflammatus sanguis minus sæviat & ebulliat.

*Secundum* variolarum stadium ante oculos adeo observatur, ut ab alio morbo facile discriminari queat.

Antequam bonorum malorumque catalogum signorum aggrediar, hoc notare volo, quod in variolis mortem jam jam allaturis, haud raro bona, atque etiam in iis, quæ in sanitatem abeunt, sæpissime mala occurrant symptomata.

Et hoc non solum in variolis, sed in aliis morbis tam evidenter obtinet, ut Authores illi, qui de expiscandis prognosticis scribunt, non ausi sint temere affirmare, quænam per se mala vel bona exstant symptomata, ab omnibus scilicet cæteris circumstantiis remota & seposita. At si certe discrimen ad singula symptomata proprie pertinens designare potuissent, utilissima forent eorum præcepta. Ab his dictis, Authoribus celeberrimis & haud injuria laudatissimis detrahere minime volo; sed ab incerto morborum decursu, & involutâ medicinæ obscuritate hæc ambigua eorum præsagia oriri lubens fateor. Quippe enim non omnia, quæ in moribundis apparent, sed ea sola symptomata, quæ in iis raro orcum evadentibus occurrunt, fatalia pronunciare oportet.

Quæ in hoc secundo morbi stadio ad Prognosin spectant, paululum expendamus. Hæc a forma, mole, profunditate, numero, colore & interstitiis pustularum plerumque desumuntur.

Quoad



Quoad *figuram*, variolæ rotundæ, læves & in apicem se elevantes benignâ potiuntur naturâ: e contrario variolæ latæ, scabræ & depressæ generis sunt peioris.

Respectu *molis*, quo majores, eo meliores; & variolæ minimæ æque periculosæ sunt ac confluentes.

Quod ad *Profunditatem* spectat, quo minus in membranam cellulosam sub cute extensam penetrent, eo meliores & vice versa.

Quoad *Numerum*, quo pauciores & præsertim in facie, eo meliores.

Quod ad *Colorem* attinet, variolæ feliciter cessuræ rubescunt, donec generetur pus, & eo etiam tempore bases pustularum rubedine accingi debent; nisi iis ægris, qui mitissimo genere correpti, laxiori corporis habitu potiuntur. His, inquam, aliquando accidit, pustulas usque ad suppurandi tempus apparere subalbidas, & postea in substantiam corneolam indurescere. Præterea notandum est, quod color jam dictus signum quam incertum præbeat, & tam maligno, quam benigno generi communis. Ea sunt certiora prognostica, quæ a suppuratarum colore pustularum deducuntur. Ille color est optimus, quem intus fluitans exhibet pus subflavescens; huic proxime accedit subalbidus; deinde ille, quem variolæ ambustorum ad instar sero limpidio distentæ præbent; & pustulæ in morbo pessimæ notæ livore decolorantur.

Postquam pus generatum est, pustulæ benigni generis tument & distenduntur admodum; malignæ vero corrugantur, vel in medio subsidunt. Sed hoc signum in variolis fatis mitibus deprehenditur, imo usque ad octavum diem (scilicet a correptione), quo tempore apices se erigere solent; etsi tunc temporis non eleventur api-



ces, in sinistrum omen haud inique accipitur.

Quoad *Interstitia*, quo magis a se invicem distant pustulæ, eo melius. Jam de pustulis faciem obsidentibus emphaticè loquar, quoniam facie sæpe confluunt, cum in reliquis corporis partibus sint quam discretæ. Præterea interstitiorum color notatu dignus est. In genere mitissimo eundem fere colorem ac in sanitate induunt; in genere minus benigno paululum rubescunt, & in pessima specie rubore quam intenso suffunduntur, donec ad tempus maturationis pervenerint, quo tempore æque pallida ac in cadavere deveniunt. Et aliquando evenit, hoc symptoma, non nisi paucis horis ante mortem se in conspectum dare. Paulo post eruptionem, sæpe lividæ atque nigræ erumpunt maculæ, quæ, ut morbus incedit, tam numero, quam nigredine continenter adaugentur, & mortis fere semper sunt prænunciæ.

Pro Prognosi a tempore eruptionis desumptâ, hæc unica inservit generalis Regula, quod, quo lentius erumpant pustulæ (nisi antecedunt ægritudines enormes), eo melius, & vice versa

Sed ut hunc morbum majore fructu pervolvamus, & rationem horum prognosticorum clarius perspiciamus, ad aliam methodum variolas perpendere conabor, i. e. analogiam inter alia apostemata majora atque hunc morbum, quoniam magna intercedere videtur similitudo, denotare volo.

Uti hic morbus, scilicet variolæ, est ex genere inflammatorio, sic regulis inflammationis generalibus plerumque obtemperat. In genere discreto symptomata, quæ eruptionem antecedunt, ægrum haud multum discruciant, & pustulæ in conspectum se  
datu.



daturæ evadunt perpaucæ. At in variolis confluentibus res longe aliter se habet; quippe enim symptomata, quæ a primo morbi insultu accedunt, dolor scilicet capitis & dorsi lancinans, vomitiones & ægritudines acerbæ & similia, multo citius prodeunt, & multo magis debacchantur; & pustulæ etiam numerosissimæ (seu universa corporis inflammatio), comparent. Eadem similiter ratione, ac in Peripneumonia, Pleuritide & similibus, quo acerbius desævierit febris, eo citius & multo major apparebit Inflammatio. Variolæ mites & distinctæ, quando in pus se convertere incipiunt, abscessulos optimi generis æmulantur; & variolæ confluentes ad apostematum naturam pessimorum quam proxime accedunt.

Apostemata, quæ benignam naturam nanciscuntur, brevi temporis spatio maturescunt & suppurantur; ideoque variolæ mites & distinctæ die octavo vel nono (seu circa quartum vel quintum diem, eruptione peracta) in pus se convertunt; quo tempore omnia Apostemata benigna summam rubedinem attingunt, maturescunt & ad ἀκμὴν suam perveniunt; & hoc genus variolarum prorsus omni periculo sæpe vacat. At in confluentibus pustulæ, quoniam hæc ad pessimorum indolem abscessuum accedunt, plus temporis conterunt, antequam suppurantur: & hæc species ingenti discrimine stipatur. *Abscessus enim malignos cum febre continua, exitiosos esse omnes dicit Severinus* (1). Sed ut hanc rem paulo arctius perstringam, perpauca, quæ Authores de Apostematis scripserunt, breviter tradam, & si lectori pla-

(1) De recondit. Abscess. natura, Cap. 26.



placeat, cum iis, quæ de variolis dicta sunt, conferantur.

Benigna *forma* abscessus est rotunda, elevata, superficie lævis & conicam induit figuram. Apostema quod naturam acquirit malignam, planum, depressum inæquale & asperum evadit (m).

Quo *major* est abscessus, eo majus urget periculi. Hic a me ipso, & ab iis supra dictis abhorreere videor; nam de variolis antea dixi, quod, quo majores deprehenduntur pustulæ, eo minus premat vitæ discriminis. Sed si omnes pustulas in se collectas, seu totam pustularum quantitatem, quæ semper erit ratione earum numeri, spectemus; tunc fatendum est, re ad calculum sic exactâ, quod, quo major sit numerus, eo major aderit suppuratio, i. e. quo major abscessus, eo majus periculi. Præterea autem, si pustulæ sint tam parvæ, ut non magna insequatur suppuratio; nihilominus tamen hæ pustulæ pejoris sunt moris, ac si hæ eadem pustulæ fuissent mole grandiores. Eâdem pariter ratione, suppuratibus mammis vel alias corporis partes corripientibus cernere est, quod tumor, qui tactu percipitur, quasi divisus, seu instar duorum vel trium abscessulorum, curatu sit difficilior, quam si omnes hi tumores in unum abscessum formâ præditum idoneâ confluxissent.

Quoad *Profunditatem*, Apostemata, quæ partes subjacentes altè erodunt, mala (n). Hoc in variolis confluentibus liquidissime patet.

Authores ex *numero* variolarum faciem obsidentium periculum depromunt; & scriptores, abscessuum mentionem

(m) Hippocrat. prænot. Sect. 2. morb. vulgar. Lib. 6. (n) Fabric. ab Aquapend. de Progn. Ulcerum



tionem facientes, asserunt, quod, quo magis ad inferiora tendunt abscessus, eo minus instet periculi (o).

Benigni *Color* apostematis rubescit & magis atque magis intenditur rubedo usque ad generationem puris, quo tempore subflavescit. Color abscessus naturæ paulo peioris diù albidus perdurat, vel livore sæpe obducitur, pauxillo albedinis in apice ubi suppuratio melius procederet, prodeunte; & id eo scilicet tempore, quo rubore suffundi debeat: & si abscessus sit generis quam maligni, colore nigro & gangrænoso obvelatur.

Pus, quod abscessu benigno continetur, subflavescit, & spissum atque æquale omni odore caret (p). In alio naturæ minus benignæ materies intus contenta, vel tenuis, limpida & instar aquæ vesiculas ab igne excitatas implentis, vel ex pure, fero & sanguine, foetidum odorem spirans componitur.

Apostematis tumor optimi semper est tensus, & suppuratus tumet, & pure etiam blandissimo distenditur; & hic abscessus medelæ facile auscultat; illa vero abscessuum species, quæ sacculos semiplenos æmulatur, ægrius curatur.

Omni apostemati, si sanguini absorbeatur pus, subfidit apex; & tunc Diarrhoeæ & sudores colliquativi accedunt: & si æger jam jam moriturus sit, eminentia apostematis, ut in variolis, aliquando nigrescit.

Si æger abscessu laborans in agone mortis sit luctaturus, subito relaxatur tensio, & tumor abscessum obsidens penitus evanescit (q); quod etiam variolis deprehenditur. Apostemate disrupto, si animum exspiraturus

C

rus

(o) Hipp. de Morb. vulg. lib. 6. §. 7. lib. 2. sect. 7. prænot. lib. I. Cels. l. V. cap. 26. §. 20. l. VII. cap. 3.

(p) Hippocr. (q) Hipp. Prænot.



rus sit æger, subito siccum devenit ulcus, labia ejus pallescunt, livescunt & corrugantur (r); & certe variolosis haud aliter res se habet; quippe tum salivatio, tum diarrhoea ex improvise sæpe cohibentur, & flaccidæ, pallidæ, atque lividæ apparent pustulæ. Accedit ad hæc, quod ulcera pulmonum, morte in procinctu stante, subito exarescunt, & repente desinit Tussis.

Si aliquando tumor recedat, vel si in variolis subsidat faciei intumescencia, & ex improvise se subducatur salivatio, materiæ morbidæ sanguini resorptæ mortem Authores adscribunt. Sed ab exemplis, supra memoratis, potius constare videtur, hoc aliquando in causa esse (si nostram opinionem interponere fortasse liceat), cur retrocedat tumor & evacuatio puris desinat; quoniam scilicet vis vitæ deficit, & tensionem solidorum idoneam conservare non valet, nec vires ad extrema corporis humores propellere sufficiunt. Nam quidem extremitates citius quam viscera mori, & pulsum atque calorem pedibus citius quam corde languescere dicere fas est.

Si ægris tumores scrophulosos habentibus incalcescat vehementissime febris, hi tumores sæpenumero penitus evanescunt, donec febris remiserit; quo tempore iterum se extrudunt. Et apud infantes haud infrequenter videre est, tumores hosce scrophulosos, antequam etiam pustulæ foras prodierint, omnino se subducere & sicca devenire ulcera; at febre imminuta, statim in conspectum venire variolas, & iterum erigi tumores; quod  
hoc

(r) Hippocr. Prænot. Celsi lib. II. cap. 6.



hoc *Sydenhami* effatum firmare videtur, *febris scilicet vehementia eruptionem variolarum impediat* (f). Sic in podagricis vel rheumatismo laborantibus partes dolore oppressæ, cum primum febris compescatur, intumescere incipiunt, & iis odontalgia correptis, cum primum febris atque dolor remiserint gingivæ tumescunt. Ab his dictis verisimile est, faciei detumescentiam vel a febre *secundaria*, omnes corporis functiones & secretiones perturbante & subvertente antequam etiam vires defecerint; vel a defectu vis vitæ provenire. In priori casu conducere admodum V. S. videtur; in hoc omnes evacuationes, nisi quas vesicatoria eliciunt, exceperis, sunt vitandæ; & Ptyalismum atque intumescentiam restituere, saltem pro tempore, possunt cardiaca. Ad hæc faciei tumorem & ruborem opiata sæpe conciliant. At de opiatīs hoc annotare liceat, si inquietudo & molestus ille sensus, quæ variolosos discruciant, a quodam stimulo interno quem corrigere vel sedare possunt Narcotica, excitantur, tum certe in hoc casu opium permultum proderit. At si hic stimulus non causa, sed febrilis hujus inquietudinis effectus existat, tum, cum primum soporifica opii virtus extincta fuerit, inquietudo hæc, nisi febrem cohibueris, gravius recrudescet. Hoc Diarrhœæ, Dysenteriae & Catarrhi sæpe sæpius comprobant.

Omnibus his rite perpensis, *Sydenhamus* non intelligendum esse opinor, ac si affirmare voluisset, quod ægrum necesse fuerit mori, quoniam detumebat facies; sed potius quod mortem in procinctu esse hoc sympto-

C 2

ma

(f) Dissert. epistol. ad Dn. Cole.



ma denotaret; eâdem fimiliter ratione ac turgidi subfidentia fluminis imbres ad fontem eſſe imminutos indicat; & non quidem a ſubſidentiâ fluminis imbrum imminutionem pendere. Sed ut verum fatear, Re quidem medicâ inter cauſas & effectus bene atque accuratè dignoſcere, tum momento, tum difficultate plenum eſſe duco.

In *ſecundo* hujus morbi ſtadio febris remittit, quod etiam in aliis apoſtematis paulo majoribus plerumque obtinet. Sic in peripneumonia vel pleuritide, pure jam factò, febris minus ebullit (t). Febres illæ, quibus obnoxiaſunt puerperæ, cum primum tumor mammis vel aliis corporis partibus eruperit, ſenſim recedunt: & in cæteris febribus tumor glandulæ Parotidis, & certo certius ſi in ſuppurationem abeat, criſin ſalutarem ſæpe promittit. Sic in febre peſtilentiali tumor, qui Bubo dicitur, ſprodiens ſanitatem præſagit (v); at ſi hi tumores nimis ſubito ſe recondant, omnia in pejus ruunt & æger phrenitide correptus, quam citiſſime moritur (x); & varioloſis certe ſic ſe res habet.

In poſtremo ſeu *tertio* variolarum ſtadio (i. e. tempore quo implentur & diſtenduntur puſtulæ uſque ad finem morbi) febris *ſecunda*, ſalivatio & faciei atque manuum intumeſcentia præcipua ſunt ſymptomata notatu digna; quorum primum plurimam animi attentionem meretur; quoniam ab hac pendent hæc duo altera ſymptomata; & ſecundo quia tum ſalivatio, tum tumor faciei uſque ad paucas horas ante articulum mortis ſæpe oculis ſe ſubjiciunt: quo quidem tempore ſympto-

(t) Hipp. Aph. II. 47.

(x) Celf. lib. II. cap. 7

(v) Sydenh. de febr. peſtil. & peſte.



promata, quæ mortem in procinctu esse denunciant, adeo evidenter constant, ut aniculæ etiam prognostica æque certa fere ac Medici eruditi depromere possint.

Dum respiratio integra remanet, & intumescencia apparet quam magna, omnia in vado esse credunt permulti; quoniam in fatali specie recedere intumescenciam & salivæ fluxum desistere dicit *Sydenhamus*. At vero hæc induciæ hand raro sunt fallaces admodum; nam hoc nobis animadvertendum est, quod color, salivatio, respiratio illibata, & faciei tumor, usque ad diem supremum protrahantur, quo tempore omnia hæc symptomata aliquando in fugam se subito convertunt, & æger, cui paulo ante magna sanitatis redituræ spes affulsit, morte luctatur: adeoque si a gradu febris *secundariæ*, prognosin haurire non possumus, nihil certe amplius quam mulierculæ cognoscimus. Nihilominus tamen usu sæpe veniet, & præsertim cum vitæ mortisque momenta æqua lance pependerit, ut Medicus in arte etiam versatissimus certam de eventu prognosin eruere non valeat, sed oraculi instar nubilo verborum & sensu ambiguo conjecturas suas obducere cogatur; singulis conjecturis cautiones prudenter subnectens, ea scilicet arte, ut juxta rerum eventum verba sua interpretari possit.

*Sydenhamus* a pure in massam sanguineam rapto febrem *secundariam* incendi, & a puris quantitate absorpti periculum pendere arbitratur; mox in alio loco, si facies dense inspergatur pustulis, quanquam in reliquis corporis partibus minus abundant, magnum instare vitæ discrimen asserit. At in hanc febrem *secundæ* causam, si a tanti sententiâ Viri paululum deflectere fas



fit, leviter insurgere videntur sequentia.

Cur incipit hæc febris antequam omne ex integro generetur pus; & cur non flaccidæ ( si pus intus contentum absorbeatur ), & minus distentæ redduntur pustulæ? Imo autem contrarium obtinet; febris in initio enim pustulæ magis atque magis tumescunt & pleniores equidem reperiuntur. Deinde, juxta hanc ratiocinandi methodum, pustulæ etiam in trunco vel artubus magnâ copiâ comparentes periculum æque magnum, ac quæ per totam faciem multitudine ingenti effunduntur, minitari debent: quo, ut *Sydenhamus* ipse bene annotavit, nil minus verum; quippe ut tempore maturationis seu absorptionis puris expectatur vitæ discrimen, ita ex omnibus circulationis legibus parum refert, per quas vias hæc materies purulenta ( quandoquidem sanguini se immiscet ), in interiora ducatur.

Ad suam sustinendam opinionem huic argumento innititur *Sydenhamus*: *neque sane mirabitur, tam ingens discrimen a majore pustularum numero pendere, qui secum reputaverit, quod si cujuslibet sive humeros, sive brachia, sive aliam quamlibet partem phlegmone ( vulgo a Boyle ) forte invaserit, idem tempore maturationis, qua jam pus fit, febricitabit; cum scilicet sanguis a purulentis particulis, per venas ex lege circulationis in ejus massam resorptis, incitatus, febriculæ fomitem subministret; quanto magis Medicus &c ( y ).* Jam antea innui febrem hanc secundam invadere prius, quam factum est pus, i. e. dum partes tensæ admodum et inflammatæ dolore ægrum acuto affi-

cientes

(y) Dissert. epistol. ad Dn. Cole.



cientes disrumpuntur et in pus se convertunt. Sic quis phlegmone supra memoratâ correptus, dum cutis rubra inflammata atque tensa remanet, levi febriculâ aliquando laborat; sed tempore, quo tota penitus peracta est suppuratio, et quo potissimum hæc febris se in conspectum dare debet, pars affecta dolore liberatur et æger febre prorsus immunis evadit,

Ad hæc, si a tantilli resorptione puris, quod in unico abscessulo supra dicto occurrit, eo adscendat febris, cur in miti variolarum genere, pustulis pure distentis, reperiuntur quidam omni febris notâ prorsus carentes? Operæ pretium est & id adjungere, scilicet quod aliis abscessibus paulo majoribus, febris, quæ a resorptione incenditur, lente incedat & hæctica deveniat, sed febris variolosa est acuta admodum & brevi temporis spatio ægrum e medio tollit.

Verosimile videtur relaxato & subverso per febris violentiam fibrarum tono, & siccis depressis atque flaccidis devenientibus pustulis, in sanguinem resorberi pus; & non pro effectû sed causâ absorptionis febrem hancce secundam habendam esse; quicquid enim fibræ robur & elasticitatem conciliare queat, pustulas & intumescen-  
tiam pro pauxillo temporis spatio denuo elevat; sed si febrem adauxerit, detumescit statim facies, & æger ad plures migrat.

Tota variolarum curatio hoc cardine vertitur, scilicet ut contemperetur febris; quod tentandum est regimine frigidiusculo. Nimirum non adjectis pluribus stragulis, quam quibus in prospera valetudine uti solebat, æger in lecto decumbat. Liquoribus refrigerantibus, e. g. Emulsionibus, Ptisanis & similibus utatur. Enemata inji-  
cienda



cienda sunt, & sanguinis missio celebranda. Si caput malè se habet, his subnectere licet pediluvia & Epispastica. Cætera illa remedia ab Authoribus præscripta, symptomatis, quæ in diversis ægris occurrunt, diversis accommodantur, adeoque nimis numerosa hic loci recenferi; & quemadmodum hæc symptomata multiplicia sunt varii effectus morbi, ita horum curatio ab extirpando causam, i. e. cohibendo febrem pendet. Mictus enim sanguineus, difficultas reddendi lotium & similia, a violentia morbi oriuntur, ideoque curatio febris his aliquando occurrit. Nihilominus certe verum est, per V. S. aliqua ex parte cohiberi mictum sanguineum, & lecto eximendo ægrum tolli urinæ suppressionem. Difficultati spirandi & anginæ aliquando occurrunt sanguinis detractio, medicamenta expectorantia & Cataplasmata ex Theriaca cum melle confecta. Transitorium aëris per nares conciliat unguentum rosaceum vel Butyrum insulsum. Attamen hæc medicamenta palliativa ad morbi radices haud pertingunt, quâ de causâ hæc symptomata citissime denuo insurgunt. Porro autem medicina illa palliativa est anceps & incerta admodum, nec sæpe metam attingit.

In cæteris abscessibus, ubi bona inducenda est suppuration, ita moderandus est motus totius sanguinis, ut neque nimis excitetur, nec omnino torpeat, ut dicit **SUMMUM ARTIS DECUS ET PRÆSIDIUM** (z). In variolis hæc obtinet regula; nam si febris nimis ebulliat, loco suppurationis inducitur gangræna, & loco puris pustulæ latice tenui & corrosivo implentur. Si iis autem, qui  
aquosa

(z) Boerhaave Aph. de Abscess.



aquosa præditi sunt temperie, febris torpescat, maturatio nimis lente incedit; & humore tenui ejusdem fere coloris, sed naturæ penitus diversæ ac in priori casu turgent papulæ. Hi ægri sæpenumero pro brevi temporis spatio languescunt, & tandem viribus exhaustis moriuntur. Hæc observatio ab Infantibus laxius temperamentum obtinentibus desumitur. In hoc casu omnia, quæ vim vitæ stimulant, medicamenta, ut cardiaca, vesicatoria & similia optime cedunt; in illo febris remissionem exigit curatio.

At in omnibus ægris, quibus febris nec nimis sæviat, nec torpescat, naturæ committendus est morbus; quippe ut medicamenta calida febrem sæpe acutam incendunt, ita omnia, quæ febrem penitus extinguere valent, sunt evitanda. *Quemadmodum inconsultum est atque periculosum, calidioris regiminis vel cardiacorum ope ceptam ebullitionem nimis evehere, ita e contrario non minus vacat periculo, mediantibus V. S. clysteribus, emeticis, catharticis, aut id genus aliis eandem minuere, cum hoc pacto partium separabilium commoda secretio plurimum impediatur.* Hæc Sydenhamus.

Sæpissime evenit, morbo jam inclinato, & præsertim in variolis confluentibus, quod cum etiam pustulæ ad ἀκμὴν suam pervenerint, & asperæ evaserint, adhuc debacchetur febris, nec non sublultus Tendinum, Deliria Phrenitis, Difficultas spirandi & alia horrenda symptomata. Pustulæ exarescunt, & siccis squamulis obtegitur corpus; adeo ut per meatus cuticulares exitus morbidæ materiæ minime concedatur. Intestina haud raro

D

pu.



pustulis obsidentur (a). Sanies hic stabulans acrior atque acrior, scilicet ob calorem loci continenter devenit & in sanguinem absorpta, luctuosas illas tragoedias jam dictas agit; & rebus ita se habentibus, auxilia quam citissime sunt rapienda. Hisce casibus curationem efficit sublatio causæ seu materiei putridæ sanguinem inquinantis. Hanc aliquando vel per V. S. vel per cathartica præcipue tentant Medici. Quod ad V. S. spectat, hæc per paucos tantum ramos amputat, non omnes radicum fibras evellit. Qua de re medicinam alvum leniter ducentem in usum revocavit summus ille vir *Johannes Freind* (b). Per purgantia enim alvus hac illuvie obsita, & oppressa exoneratur, & fomes morbi expellitur. Infirmum certe videtur argumentum illud, quo contendunt nonnulli, hanc praxin periculo minime vacare; quod medicamenta cathartica sanguinis motui stimulum adhibeant, & ægri vires exhauriant. Febris enim erysipelatosa hoc medicinæ genus aliquando omnino desiderat; & præterea frequenter incidunt aliæ febres vehementes, quæ quidem cathartica commode recipiant, & si quis historias ab eruditissimo Doctore *Freind* conscriptas bene secum revolverit, ei haud restare videbitur metus, ne per cathartica vires ægri destruxerit; iis enim ægris, quibus adhibita fuere purgantia, vires instauratas esse asseruit clarissimus ille Medicus.

Sed licet omnes ægroti nunc citati interiissent, vix certe purgantibus adscribendus est eorum obitus; eo enim advectus fuerat morbus, ut mortem fere certissi-

ma

(a) Schenkii Observation. Medecinal. de variol. Lib. VI. Fernel. de morb. pestilent. Lib. II. cap. 12. Bonet. Sepulchr. Anatom. Lib. IV. tom. 3. (b) Comment. nov. de febr. & de purgant. in secund. Variol. febr.



nam minitaretur. Permulti enim ex his ægris convulsionibus gravissimis luctabantur, & phrenitide correpti mente admodum permovebantur, & multa aliena & incondita dicebant. Alii vero veterno obtorpescebant, quibus nec loquendi, nec audiendi facultas erat ulla; & multa alia dirissima etiam signa aderant, quæ uno ore summum discrimen afferre habentur.

Doctissimus *Richardus Mead*, in arte medicâ Vir certe versatissimus & nemini secundus, memorabilem refert historiam puellæ, cui acerbissimis variolis correptæ universa per totum corpus imminuerit gangræna; & per medicamenta cathartica ad pristinam sanitatem restituta fuit (c).

Quæ de fructu, quem in febribus acutis, putridis, & in hac febre variolosa *Hyppocrates*, *Galenus* & permulti alii scripserint, dilucide enarravit *Clariss. Freind*, in eo scilicet libello supra citato, quo magnâ cum sermonis elegantia & ornatu sententias horum collegit, digexit, & luculentissime exposuit.

Si certe authores de febribus putridis agentes pervolvamus, de catharticis, utpote illi febrium speciei opportunis, mentionem sæpe repetitam inveniemus (d); & ad classem hujusmodi febrium commodè redigi potest hæc febris variolarum *secunda*. Omnibus his sic se habentibus verosimile videtur, hac in febre variolosa pro summo remedio esse purgantia. Quod si huic praxi objecerint aliqui, nullo intacti præjudicio & probi-

D 2

tate

(c) Epistol. ad Dn. Freind. (d) Alex. Trallian. Lib. XII. cap. II. Paul. Æginet. 4. de re medica, Lib. II. cap. 18. Oribas. Synops. Lib. VI. cap. 8.



28 DISSERTATIO MEDICA INAUGURALIS.

tate alte imbuti, in quam plurimis ægris se deprehendisse hanc febrem evacuationibus per sedem factis haud libenter cedere: in dubio certe ut hæreamus oportet; nec nostram certe assensum Hypothesis, quæ ab experientia abhorret, etiam quam affabrè concinnata extorquere debet. Nam uti in omnibus artibus, & præcipue arte medica, theoriam ab eruditissimis etiam Medicis conflatam longe anteit experientia, summa illa magistra: *ita Authorum vel maxime celebrium decreta medica haud ita facile recipienda sunt, quæ non multiplex usus firmaverit* (e).

(e) Freind. comment. VII. de purgant.

















